

trabo tecum. si pater tuus vivit; qui tamen jam multo ante mortuus sit. His prænatis, Regula est, quod hæc conditiones impossibiles non irritant Matrimonium, sed ipsæ irritantur, & habentur pro non adjectis, ut definitum est in cit. cap. fin. De Condition. appofit. favore ipsius Matrimonii; ad exemplum ultimatum voluntatum, atque legatorum, quorum favorem conditiones impossibiles rejciuntur, & pro non adjectis censentur. l. Obtinuit. ff. de Condit. & demonstrat. nec non ff. Impossibilib. Insti. De Hæredib. Insti. quævis in aliis contractibus contrarium sit de Jure statutum, siquidem ubi sunt cum conditione impossibili, contractus ipsi irriti, nulli, & invalidi remanent. l. Impossibilib. ff. de Verb. Oblig. prout etiam in ff. si Impossibilib. Insti. De Inutilib. Stipulat. Fagnan. in d. cap. fin. num. 10.

Quæ tamen limitationes dant Doctores Regula supra dicta. Una est, quod uterque conjux contrahens cum conditione impossibili, sciat, & cognoscat, ipsam conditionem esse impossibilem; quandoquidem si uterque, aut unus eorum crederet, eam conditionem esse possibilem, in hoc casu Matrimonium esset irritum, & nullum. Ita Sanchez d. lib. 3. disp. 3. n. 9. Basilus d. lib. 3. cap. 3. num. 3. & Salmanticenses, alios allegantes, d. cap. 7. n. 22. ubi dicunt, Gregorius Nonum in cit. cap. fin. de Condit. appof. rejciere conditiones impossibiles cognititas, & manifestas illis contrahentibus, secus autem si illas non cognoscant, & credant esse posibles; tunc enim Matrimonium stat in suspensio usque ad complementum conditionis, quæ postea cum appareat impossibilis, cessat obligatio exequendi contractum, & sic Matrimonium remanet nullum. Altera limitatio est, quod si à contrahente conditio impossibilis apponatur ita serio, ac determinate, ut sub ea tantum consentire velit; tunc Matrimonium irritum remanet ex defectu consensus; à quo omnino pendet validus Matrimonii. Quod si dubium remaneret, an serio, vel ex joco adjecta fuerit impossibilis illa conditio, in hoc casu præsumitur ex joco, ita ut illa irrita censetur, Matrimonium verò sit validum juxta prædictum cap. fin. De Condit. appofit. ut late ostendunt Sanchez d. lib. 3. disp. 3. num. 16. Basilus Pontius d. lib. 3. cap. 4. num. 2. Averfa d. q. 5. scilicet. 4. Matruius d. disp. 7. n. 154. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. art. 2. §. 3. & §. 4. atque Salmanticenses d. cap. 7. num. 23.

Quartum tandem conditionum genus amplectitur conditiones licitas, atque honestas; quæ subdividuntur in tres species, quatenus alia dicuntur de præterito, alia de presenti, & alia de futuro; circa quas etiam plura, & quidem fastidiosa nimis scribant Theologi; omnia tamen ab eis dicta restringuntur ad has duas conclusiones sequentes. Conclusio prima: Conditiones de præterito, ut duco te in Uxorem, si Pater tuus fuit Doctus, vel Judex, vel Dux; aut quid simile; prout etiam Conditiones de presenti, ut duco te in Uxorem, si es Virgo; vel si es legitima, & similes, non suspendunt Matrimonium; sed si veræ sunt, statim faciunt ipsum validum; si veræ non sunt, reddunt illud irritum, ac nullum. Ita S. Thoma in 4. disp. 29. quest. Unic. art. 3. qu. 3. ac etiam in addit. 3. part. quest. 47. art. 5. Sanchez lib. 5. disp. 6. n. 1. Salmanticenses, alios allegantes d. cap. 7. n. 52. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. art. 2. §. 1. n. 22. & §. 3. novissime Matruius d. disp. 7. numer. 150. ubi hanc reddit rationem dicens: Nam qui sub ea conditione consentit, solum se obligare intendit supposita talis conditionis veritate. Ergo si datur, statim obligatus manet; secus si non datur. Concordat Fagnanus in cit. cap. fin. de Condit. appofit. à num. 13. §. 3. ubi querit, An Matrimonium coram Parocho, & testibus contractum à Virgo sub conditione, si mulier est legitima, ac deinde consummatum, sit validum, nec ne, si postea con-

stiterit, mulierem illegitimam esse? Et subdit ibidem: Hæc casus intelligit in quodam Cosmo, qui coram Parocho, & testibus contraxit Matrimonium cum Anna his verbis: Anna, si es legitima, accipio te in meam Uxorem. Deinde Matrimonium cum ea consummatum, ac prolem inde suscepit. Postea comperit esse, Annam non esse legitimam, sed naturalem matrem ex concubina. Questum est, an valeat Matrimonium? Et pluribus rationibus, Juribus, ac Doctorum auctoritatibus probat, non valere, copula non obstant, quia ab initio consensus fuit restrictus sub illa conditione de præsentia, ac præterito, si Anna fuerit legitima; qua conditione non existente vera, consensus non præstitit, & sic Matrimonium ab initio fuit nullum.

Conclusio secunda: Conditio de futuro vel habet certam, & determinatum tempus suæ futuritatis; ipsaque conditio non est contingens, sed certò futura, ut duco te in Uxorem, si annus proximus venturus erit bisextilis; vel si calendaris Aprilis sol orientur? Et tunc Matrimonium non suspenditur, sed statim valet. Vel conditio est de contingentiibus, ut duco te in Uxorem, si intra tres menses Lauream Doctorem obtinueris; vel si frater tuus obiit; aut si Navis ex Indiis advenierit. Et in hoc casu validitas Matrimonii pendet ab adimplemento conditionis; ita ut si verificetur conditio, Matrimonium tunc valet; si non verificetur, nihil actum censetur. Salmanticenses d. cap. 7. num. 33. & §. 54. ubi DD. citant, & advertunt, quod ante adimplementum conditionis utraque pars, vel etiam una tantum ex justa causa potest à contractu rescire; non etiam adimpleta conditione, quia statim Matrimonium censetur completum, & factum indissolubile; quod etiam docent Matruius d. disp. 7. à num. 152. & §. 3. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. art. 2. §. 2.

Corollarium loco notabile unum importantissimum datur Studiosis Lectoribus, ac præcipue Parochis; videlicet, peccare mortaliter omnes, qui contrahunt Matrimonium sub conditione, Conjuges, Parochus, ac Testes, ut advertunt Averfa quæst. 5. scilicet. 1. in fine; & Salmanticenses d. cap. 7. num. 5. ubi hanc reddit rationem dicens: Tum quia qui sacramentum sub conditione conficitur, obique necessitate peccaret, & cum sit in eo adeo gravis mortaliter. Atque non potest iusta causa adesse, ut Matrimonium sub conditione celebretur, cum non habeat effectum ante adimplementum conditionis, & post rescindit ante illam; & sed sicut expectandus est conditionis eventus; sic cavendum est de conditionis impletione ante Matrimonii celebrationem. Tum etiam quia ex Matrimonio sub conditione celebrato pluribus libris, ac perplexitatibus aditus aperitur. Ergo ut iste eventus non debent sub tali conditione contrahi Matrimonium irritum, sed vel sponsalia tantum, vel expectare conditionis eventum. Ne obliuiscantur Parochi monitionis hujus: etsi per cursum annorum quinquaginta, quos in hac Curia Episcopali Patavina consumpsi, nunquam audiverim in hac amplissima Diocesi fuisse contractum Matrimonium aliquod sub conditione.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

Præmissis variis significationibus Voti, ejusdem definitione, ac multiplici divisione, ostenditur, Votum solemnè Castitatis, vel in Religione, vel in Sacrorum Ordinum susceptione emissum, esse Impedimentum dirimens Matrimonium. Referuntur duodecim Vota Hebræorum, qui tamen nunquam vovebant Castitatem, ita ut DEIPARA fuerit prima, quæ eam voverit. Inquiritur, Quo Jure Votum solemnè

lemne Castitatis dirimat Matrimonium? & Quo Tempore sit institutum hoc Impedimentum? Tandem firmatur, posse Summum Pontificem in Votis solemnibus Castitatis ex justa causa dispensare.

SUMMARIUM.

- 1 Votum solemnè Castitatis tum in Religione, tum in Ordine Sacro emissum dirimit Matrimonium.
- 2 Voti Vox plura significat. Et quæ?
- 3 Votum unde sic dicitur?
- 4 Voti definitio.
- 5 Voti ad validitatem quinque necessaria. Et quæ?
- 6 Propositum votandi non facit Votum.
- 7 Voti divisiones plures.
- 8 Votum aliud est simplex, aliud solemnè.
- 9 Votum solemnè Castitatis in Ordine Sacro, vel in Religione dirimit Matrimonium.
- 10 Votum simplex, & Votum solemnè in quibus conveniant? & in quibus differant inter se?
- 11 Voti solemnè Castitatis effectus tres.
- 12 Votum solemnè ex Ordine Sacro in quo differat à Voto Religiosæ Professionis?
- 13 Votum simplex cur non dirimat Matrimonium? Solemnè sic?
- 14 Ecclesie decretum facit, ut solum Votum solemnè Castitatis dirimat Matrimonium.
- 15 Hebræi non faciebant Vota Castitatis. De Votis eorum Regule XII.
- 16 DEIPARA prima fuit, quæ fecit perpetuum Votum Castitatis, Pauperatis, & Obedientie.
- 17 Votum solemnè Castitatis Quo Jure dirimat Matrimonium? & controversia magna inter Thomistas, & Scotistas.
- 18 Thomistarum rationes. Earum resolutio num. 22.
- 19 Scotistarum argumenta.
- 20 Jesuitarum Vota simplicia an dirimant Matrimonium?
- 21 Jesuita post emissam Vota dimisit à Religione an possint nubere.
- 22 Votum solemnè Castitatis quo tempore capiti dirimere Matrimonium?
- 24 Canonès facientes alicui Votum Impedimentum dirimens.
- 25 Impedimentum Voti solemnè dirimens est antiquissimum.
- 26 Christus, ac Apostoli an tria Vota Religionis emisserint?
- 27 Vota omnia Castitatis in primis seculis Ecclesie An tantum simplicia?
- 28 Clericis in Sacris quando prohibitum sit Matrimonium?
- 29 Papa an possit dispensare in Voto solemnè Castitatis?
- 30 Historicis antiquis est credendum.

Post conditionis Impedimentum dirimens, sequitur illud quod vocatur Votum, quod est in numero Impedimentorum Tertium, & complectitur Votum solemnè Castitatis tum Religiosorum, tum Monialium, à quo dirimitur Matrimonium post emissionem ejusdem Voti contractum; qui compar est Votum solemnè Castitatis, quod emittunt hi, qui suscipiunt Ordines Sacros; & numeratur inter eadem impedimenta dirimentia loco octavo sub hoc nomine Ordo; sed quia utriusque Voti est idem effectus in dirimendis Matrimonium, nos de utroque agemus in præsentia Decisione, in qua videbimus:

1. Votum unde dicitur, & Quid sit?
2. Quot simplex sit?
3. An in Lege veteri fuerint Vota solemnè Castitatis?
4. Quo Jure, & à quo tempore Vota Castitatis solemnè dirimant Matrimonium?

5. An Summus Pontifex possit in eis dispensare ad effectum, ut tam Ordinati in Sacris, quam Religiosi possint contrahere Matrimonium?

Quo ad Primum. Hoc nomen Votum plures habet significationes; aliquando enim significat desideria animi nostri, auspicia, seu deprecationes; unde hi, qui augurantur felicitatem Heris, vel amicis suis in festis Domini Natalitiis, solent, ut plurimum, dicere, exaudiat Cælum Vota mea. Aliquando denotat animi gratitudinem, & gratiarum actionem; prout in tabellis votivis, quæ offeruntur ad Altare alicujus Sacræ Imaginis, vel Sancti pro recepto aliquo beneficio, quæ dicuntur Vota. Aliquando innotuit suffragium, seu vocem, quam quis petit ab electoribus in collatione alicujus tituli; solent enim competitorum rogando dicere, flagito ad favorem meum Votum vestrum. Aliquando idem est, ac opinio; cum enim inter plures de aliqua re disceptatur, qui dicit opinionem suam, solent concludere, tale est meum Votum. Hinc doctissimus Canonista Augustinus Barbosa, inter cætera egregia ejus opera typis impressa, dedit in lucem Libros tres, quos Vota Canonica appellavit, idest ejus opiniones in Consultationibus exhibitis iis, qui cum consulere volebant super controversiis, & rebus dubiis, de quibus in prædictis Votis. Aliquando Votum significat Matrimonium. l. 3. ff. De Succession. unde quando quis secundo nubit, solemus dicere, transit ad secunda Vota. cap. 9. de testib. & cap. 5. de Sponsalib. Principaliter tamen Votum significat obligationem, donationem, spontaneamve largitatem, quam quis facit Deo, vel Sanctis ejus in obsequium, & honorem ipsius Dei, vel Sanctorum; & dicitur Votum à voluntate; siquidem cum vovens non sit obligatus ad illam rem tradendam, ac mera, ac libera sua voluntate vult illam tradere; & sic Votum appellatur quasi Voluitum, eò quia vovens sponte vult rem votam dare, ac offerre juxta suam voluntatem, quæ primum movit rationem ad promittendum juxta S. Thomam 2. 2. quest. 88. art. 1.

Definitur autem Votum, quod sit Deliberata promissa facta Deo, de re ipsi grata. Tamburin. lib. 3. in Decal. cap. 9. num. 1. Lessius de Just. & Jure lib. 2. c. 40. num. 1. Vel, ut alii dicunt, Deliberata promissa facta Deo de meliori bono. Cotonius lib. 1. Controv. 12. cap. 1. num. 1. & passim Moralistæ omnes, qui notant quinque esse necessaria ad validitatem Voti. Primum quod factum sit cum animi deliberatione; idest cum animadversione ad id, quod quis vult Deo promittere; & hæc animadversio non requirit longam mentis agitationem; sed tantam deliberationem, quanta sufficit ad peccandum mortaliter, juxta Glossam in cap. Mulier. 32. quest. 1. dicentem per quantum deliberationem quis potest obligari diabolo, (nempe per peccatum) potest etiam obligari Deo, (idest per Votum.) Ratio necessaria deliberationis est, quia Votum est lex, quam sibi vovens imponit; ideo opus est maturo judicio, quo cessante, Votum non tenet, ut in semidormitio, Semiebrio, & in primis quibusdam motibus; etsi ita vovens venialiter peccaret. Tamburin. d. lib. 3. cap. 10. §. 1. & 2. Lessius d. cap. 40. num. 2. Secundò Votum debet esse spontaneum; alioquin si emissum sit per vim, & metum, seu cum errore, non tenet. Lessius ibidem numer. 5. & Tamburin. lib. 1. in Decal. cap. 2. §. 4. & d. lib. 3. cap. 13. Tertio, requiritur, ut Vovens habeat veram intentionem esse obligandi, quia sine ea promittens solis verbis, non facit Votum verum; cum, ut supra diximus, hoc pendeat à voluntate. Lessius n. 6. & Tamburin. d. lib. 3. cap. 12. Quarto, Ut res promissa sit grata Deo, vel ut alii dicunt, de meliori bono, quia promittere cupiam quod ei displicet, non est rem gratam offerre, sed minari. Deo autem non potest placere res, quæ non sit bona, ac de meliori bono. Lessius ubi sup. num. 8.

num. 8. Tamburinus d. libr. 3. cap. 19. ubi fuisse probat, rem, quam quis voveret, esse debere possibilem, honestam, non indifferenter, nec impedientem majus bonum. *Quinto* necesse est, ut vovens possit se obligare; ideo qui utrum rationis non habent, invalidi voverunt; & Religioli, non nisi de consensu Superiorum vel expresso, vel tacito, vovere possunt; quod quomodo sit intelligendum, declarat Tamburinus d. libr. 3. cap. 12. §. 5. Tandem dicitur in definitione, quod Votum sit promissio, ad denotandum, quod non sufficit solum propositum in mente retentum faciendi rem aliquam, sed opus est, ut ille mentis conceptus deducatur ad promissionem, resolutivè determinando, & spondendo ipsi Deo, vel verbis externis, vel interno actu voluntatis rem illam in mente conceptam exequi, & ad Dei gloriam facere, ac adimplere, ut pluribus demonstrant idem Tamburinus d. libr. 3. cap. 11. & Lessius d. cap. 40. libr. 2. à num. 20. & seqq.

Quo ad secundum. Plures Voti divisiones dantur à Theologis de illo differentibus. Prima est, quod Votum aliud est commune, aliud particulare. Ita Magister sent. in 4. dist. 38. & ibi S. Thomas, Durandus, Richardus, & alii. Votum commune vocant illud, quod fideles faciunt in Baptismo, dum interrogati, respondent, *Abrenuncio Satanae, & omnibus pompis ejus &c.* fit enim hæc promissio communiter ab omnibus, qui baptizantur. Nihilominus, ut advertit Lessius d. lib. 2. cap. 40. num. 29. talis promissio non est verè, ac realiter Votum, quia tantum est professio vitæ Christianæ; aliàs sequeretur, quod omne peccatum baptizatorum esset sacrilegium, & contineret duas malitias, unam contra Legem Dei, aliam contra Votum, quod à nemine docetur. Votum particulare est illud, quod quilibet emittit juxta propriam devotionem. Secunda divisio Voti est, quod aliud est conditionatum, sitque sub particula *Si*; aliud est absolutum, non habens dictam particulam conditionalem. Differunt inter se, quia primum non obligat, nisi adimpleta conditione. Secundum statim est obligatorium. Lessius d. cap. 40. numer. 30. Tamburinus d. libr. 3. cap. 9. num. 1. Tertia est, quod Votum conditionale aliud est pœnale, scilicet quod promittitur, seu vovetur aliquid in pœnam delicti, ut si blasphemavero, voveo recitare Rosarium; aliud non est pœnale, sed potius in gratiarum actionem; ut si sanus fiam ab infirmitate, voveo tale opus bonum me facturum. Lessius ubi *supra*. Quarta divisio est, quod aliud Votum dicitur expressum, factum scilicet expressis verbis; aliud tacitum; nempe sola mente, sed voluntariè interitus determinatum. Quinta, quod Votum aliud est *Personale*, ut oratio, jejunium; aliud *Reale*, ut elemosyna; aliud *Mixtum*, ut Peregrinatio. Sexta, quod aliud est *Temporale*, limitatum scilicet ad certum tempus, aliud *Perpetuum*; quando ad illud vovens obligat se tota vita durante. Lessius d. cap. 40. sub num. 31. Septima, quod aliud est affirmativum, quando promittitur aliquid facere, ut jejunare; aliud negativum, dum vovens promittit, se ab aliqua re abstinere, ut carnes non manducare. Tamburinus d. cap. 2. num. 2. qui alias divisiones, sed minus essentielles innuit. Octava verò divisio principalior, & magis importans est, quod Votum aliud est *Simplex*, aliud est *Solemne*. Illud dicitur Votum *Simplex*, quod emittitur à qualibet particulari persona ex sui devotione, dum aliquod bonum opus in suis orationibus offert Deo absque alia solemnitate, sed ad sui ipsius beneplacitum. *Solemne* verò appellatur illud, quod est conjunctum susceptioni status Religiosi immutabilis; & verificatur in duobus casibus tantum; videlicet in susceptione Ordinis Sacri, cui ex decreto Ecclesiæ annexum est Votum Castitatis perpetuæ; & in

Professione Religiosa, in qua emittuntur tria vota solemnia Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, & in utroque casu Vovens immutabiliter dedicatur Statui Ecclesiastico. cap. *Unic. de Voto, & Voti redempt.* in 6. Lessius d. libr. 2. cap. 40. num. 31. Tamburinus d. libr. 3. cap. 9. num. 2. & Cotonius d. libr. 1. *Controversi. XII. numer. 11.* ubi ita: *Votum in primum aliud est simplex, aliud solemnè. Primum consistit in sola promissione voventis. Secundum addit acceptationem per Superiorem, vel ab eo substitutum ex parte Dei, quale solum est in professione Religiosa, & Voto Castitatis adnexo Sacris Ordinibus. Reliqua sunt simplicia.*

Igitur quod ad rem nostram attinet, cum reperiantur Vota Castitatis *Simplex*, nec non Vota Castitatis *Solemnia*; hæc solemnia sunt, quæ constituunt Impedimentum dirimens Matrimonium; & propterea Votum Castitatis solemnè emissum vel in susceptione Ordinis Sacri, vel in Professione Religiosa reddit Matrimonium irritum, & invalidum, si post emissum votum attentetur. cap. *Meminimus*, & cap. *Qui Clerici, vel voverent.* cap. *Unic. de Vot. in 6. Concil. Trident. sess. 24. cap. 9. Jussus de Dispensat. libr. 2. cap. 14. num. 77. & Salmanticenses tom. 14. in tract. de Statu Religioso tract. 15. cap. 6. num. 19. & seqq.* ubi doctè advertunt, quod Votum solemnè Castitatis convenit cum Voto Castitatis simplicis in duobus; nempe, quod utrumque Votum impedit Matrimonium, ita ut licet contrahi non possit; & quod utrumque obligat ad abstinentiam ab omni actu venereo, sive interno, sive externo contrario Castitati; differunt autem in hoc, quod Votum simplex castitatis impedit tantummodo contrahere Matrimonium; at si de facto contrahatur, est validum, estque contrahens mortaliter peccet, nec possit petere debitum, antequam obtineat Voti dispensationem: Votum verò solemnè castitatis non solum impedit, sed etiam dirimit Matrimonium, redditque illud invalidum; sive Votum solemnè infurgat ex suscepto Ordine Sacro, sive ex facta Professione Religiosa. Idcirco iidem Salmanticenses d. num. 19. & 20. notant tres esse effectus communes utriusque Voti solemnis Castitatis tam ex Ordine Sacro, quam ex Religiosa Professione resultantis. *Unum*, sponsalia antea contracta dissolvere, & subsequenter irritare. *Alterum*, dirimere Matrimonium quodcumque post ipsum Votum celebratum. *Tertium*, prohibere omnem actum venereum internum, & externum, qui omnibus hominibus prohibitus est extra Matrimonium. Similiter d. num. 20. advertunt Votum solemnè Castitatis ex Ordine Sacro resultantis differre à Voto solemnè Castitatis ex Professione Religiosa proveniente in eo, quod hoc dirimit Matrimonium ratum, non consummatum, ante Professionem ipsam initium; quam virtutem non habet Votum prædictum ex Ordine Sacro nascens, est solemnè; ut demonstravimus supra Decif. XIII. n. 9. num. 25. & num. 43. ubi diximus per susceptionem Ordinis Sacri non dirimi Matrimonium ratum antea contractum. Nec est omitendum, quod addunt iidem Salmanticenses d. tract. 15. cap. 6. numer. 23. nempe adstrictum utroque Voto solemnè Castitatis & per Ordines Sacros, & per Religiosam Professionem; casu quo si peccaret mortaliter contra Castitatem, non teneri in Confessione explicare utrumque Votum, sed quia non differunt specie, & tale peccatum habet tantum circumstantiam aggravantem, ut docent etiam Lezana in *Summ. tom. 1. cap. 5. num. 8. Sanchez in Decal. lib. 5. cap. 6. num. 4. & de Matrim. lib. 7. disp. 28. à num. 25. Palus disput. 3. punct. 1. num. 3. Pellizar. tract. 4. cap. 3. numer. 38. & 63. ac etiam Suarez de Religione tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 5.*

Gravis autem controversia agitur inter Theologos, ac Canonistas in reddenda ratione, ob quam votum simplex non dirimat Matrimonium? Votum autem

autem solemnè illud dirimendi vim habeat? Alii dicunt, quia per Votum solemnè Vovens consecratur Deo, non autem per Votum simplex. Alii, quia Votum solemnè Castitatis est actus publicus, nam fit coram Prælo; simplex verò Votum privatim emittitur. Alii, quod quod solemnè Votum facit Castitatis tradit corpus suum in dominium, & possessionem Religionis; secus qui de per se simpliciter voverit Castitatem; unde hæc rationem, quæ potentior cæteris videtur, refert Maurus in 4. d. disp. 7. num. 436. ita dicens: *Hæc etiam est ratio, cur Votum solemnè Matrimonium dirimat, simplex verò tantum impediatur, quia res uni promissa potest quietem valiadè, quamvis illicitè, tradi alteri; sed res semel tradita uni, & in ejus dominio reposita, non potest amplius validè alteri tradi; unde votum solemnè se habet tamquam spirituale conjugium; non potest autem quisquam, postquam semel tradidit dominium sui per Matrimonium uni conjungi, tradere amplius alteri; & pro hac sententia citantur S. Thomas, Dicitur Bonaventura, Richardus, Durandus, & alii plurimi. Cæterum ipse Maurus innixus doctrinæ Magistri sui Scoti in 4. dist. 38. quest. *Unic.* ait causam differentie inter utrumque Castitatis Votum hæc esse, quia Ecclesia voluit, statuit, & decrevit, quod Votum solemnè dirimeret Matrimonium; non etiam Votum simplex, ut desinitur ex cap. *Unico. de Voto in 6.* in illis verbis: *Voti solemnitas est sola Ecclesiæ constitutione est inventa; & ideo ita recentiores concorditer tenent ferè omnes, docentes, Votum solemnè, & simplex Castitatis non differre essentialiter, nec ex ipsius Voti natura, nec jure divino; sed tantum accidentaliter ex sola Ecclesiæ constitutione.* Sanchez de *Matrim. lib. 7. disp. 25.* Basilius Pontius *lib. 7. cap. 9.* ubi DD. cumulat, idemque facit Aversa quest. 15. sect. 1. *Vers. Sed dicendum nihilominus est, novissimè Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Matrim. disp. 30. art. 5. per totum.* atque Salmanticenses d. tom. 14. de Statu Religioso tract. 15. cap. 1. à num. 36. & seqq.*

Quo ad Tertium: Si querimus, An in lege Veteri fuerint Vota solemnè Castitatis? Respondendum est negativè; siquidem in Levitico c. 27. traduntur duodecim sequentes Regule servandæ in Votis, quæ faciunt Hebræi, & nihil in eis reperitur circa Votum Castitatis. Prima Regula erat, quando homo vovebat seipsum servire Deo in Templo; & tunc poterat redimere seipsum à Voto per certi pretii à Sacerdotibus taxandam solutionem. Homo, qui votum fecerit, & sponderit Deo animam suam, sub estimatione dabit pretium. *Levit. 27. 2.* Solebant enim Hebræi per votum se mancipare cultui divino in tabernaculo, videlicet ut portarent aquam, vel ligna ad Sanctuarium pro sacrificiis, ut vererent atriâ, subservirent Levitis, & similia propria Virorum. Mulieres autem si seipsas sic vovebant; stabant in cellulis Templi, & ibi præstant quæ sui sexui convenientia erant, nempe nere, telas texere, Sacerdotales, & Leviticæ vestes conficere, lavare, & reparare, ut observant in hunc locum Cornelius à Lapide, & Tirinus; addentes, quod hi voverentes se liberabant à Voto per solutionem pretii, ne nimio oneri fuissent Sanctuario, quod eos omnes alere debuisset, unâ cum Gabaonitis, ac Nathineis, qui ad prædicta servitia præstanta naturaliter erant obligati. Pretium autem solvebatur in majori, vel minori summa respectu ad ætatem Voventis, qui se à Voto redimere volebat, ut desinit Textus Sacer dicit. *Levit. cap. 27. à num. 5. & seqq.* Secunda Regula erat, quando quis vovebat animam immolabile Deo; & hoc dari debebat, & immolari, nec redimi, aut mutari poterat. *d. cap. 27. vers. 9.* Tertia erat circa animal immundum, quod immolari non poterat; hoc enim si Deo vovebatur, vendi debebat pretio per Sacerdotem ta-

xato; ut *d. cap. 27. vers. 11.* Quarta erat, si domus erat vota Deo; vendebatur pretio, quod Sacerdos taxabat; addita ulterius quinta parte pretii, si ipse vovens eam redimere volebat; ut *d. c. 27. vers. 14.* Quinta concernebat Vota agrorum; qui quidem redimi poterant, per solutionem pretii habito respectu ad fructus ex eis percipiendos. *d. cap. 27. vers. 16.* Sexta erat, casu quo vovens agrum nollet eum redimere; nam vendebatur alteri, & amplius illum ipse vovens habere non poterat, & amplius illum ipse petita ordinabat, ut omne pretium pondere Sanctuarii solveretur. *ibid. vers. 25.* Octava vetabat vovere primogenita, quia jam erant propria ipsius Dei, unde ait *vers. 26.* *Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit, & vovere; sed bos, sive ovis fuerit, Domini sunt.* Nona mandabat, ut primogenium animal immundum venderetur. *d. cap. 27. vers. 27.* Decima volebat, quod res, vel personæ quæ vovebantur Deo, per Votum, ab Hebræis appellatum *Cherem*, à Græcis vero *Anathema*, redimi non possent, sed mori deberent, vel morte naturali, si erant animalia, aut hostes Dei, ut factum fuit de Urbibus Jericho, Amalectarum, & Chananeorum; vel morte civili, remanendo in perpetuum servitium Templi, ut de Samuele, & de Nazarcis exemplificat Tirinus, ut de Samuele, & de Nazarcis cap. 27. vers. 28. Undecima, & Duodecima Regula disponebat de Votis concernentibus fruges, & animalia, de quibus Deus decernat sibi reservaverat; unde ipsa Decima non poterat cadere sibi vel voto, ut *d. cap. 27. vers. 30. & vers. 32.* In igitur, quod in his omnibus votis nulla mentio fit, aut habetur de Voto Castitatis; quia *Tribus Votis neminem illorum temporum adstrictum fuisse, ac proinde nec Religiosum propriè statum tunc, sed illius quamdam imaginem tantum, scilicet in Elia, & Eliseo, scribit P. Sherlockus in Cantic. tom. 2. Vesp. 12. num. 23.* referens ibi quindecim gravissimos Auctores ita docentes, inter quos Suarez de *Relig. lib. 3. c. 1.* Eminent. Card. Bellarminum *lib. 2. de Monachis in Prefat. Clitovæum Antilutheri lib. 2. de Votis Monasticis c. 5.* Azorium *tom. 1. lib. 11. cap. 13. quest. 8.* Menochium *Instit. Oeconom. lib. 1. c. 15. & alios.* Idcirco eod. tom. 2. Vesp. 15. num. 35. innuit, Sanctissimam Virginem MARIAM DEI Matrem primam fuisse, quæ commorans in templo emisit tria Vota Monasticæ disciplinæ Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis, ut latè probant Petrus Antonius Spinellus *lib. De Virginis Encamii cap. 27.* Luitus Turrianus *De Virginitate disp. 21. dub. 2.* nec non *Selebar. disputatationum Theologicar. p. 2. disp. 24. dub. 1. & 3.* & nos ex SS. Patrum testimonio, ac ex Revelationibus S. Birgittæ demonstravimus supra Decif. III. num. 4. & 5.

Quo ad Quartum. Inquirentibus, *Quo Jure? & A quo tempore Vota Castitatis solemnè dirimant Matrimonium?* Respondetur maximam esse controversiam inter Theologos quo Jure Votum Solemnè Castitatis tum in Religiosa Professione emissum, tum in susceptione Ordinis Sacri dirimat Matrimonium, post ipsum Votum contractum? Thomistæ affirmant, quod dirimit Jure naturali divino, ut offendunt Salmanticenses tom. 8. de Statu Religioso tr. 20. disp. 1. dub. 6. ubi num. 77. allegant DD. ita tenentes, inter quos S. Thomam, Divum Bonaventuram, & alios plurimos, prout ex modernis Gonetum de *Matrim. disp. 9. art. 2.* E contra Scotistæ defendunt, Votum solemnè Castitatis solo Jure Ecclesiastico dirimere Matrimonium; quibus adherent Canonistæ, quos longa manu citat Sanchez de *Matrim. lib. 7. disp. 26. num. 3.* quibus adjuvantur Maurus in 4. Sent. d. disp. 7. num. 439. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 30. de *Matrim. art. 5. per totum.* Rationes præcipuæ Thomistarum sunt. 1. Quod Syricus Papa *Epist. 1. cap. 6.* (relata in *capit. Si quis Sacro. 27. qu. 1.*)

18 27. qu. 1.) infigit gravissimas penas contra Sacra-
tas Virgines nubentes, & jubet eas separari; di-
cens, *Ex Verbo Domini*, & *Canonica auctoritate*.
Igitur, (ajunt) Si Verbo Domini; ergo irritato
Matrimonii ipsarum est de Jure Divino. 2. Quia
Concilium Tridentinum sess. 24. de Matrim. can. 9.
ait, *Anathema* afferentes esse validum Matrimonium
contractum post emissam Vota Solemnia, non obstan-
te Lege Ecclesiastica, & Voto. Ergo Jus dirimendi
in Voto provent non à solo Jure Ecclesiastico,
sed etiam à Jure naturali Divino, cujus est ipsum
Votum. 3. Quia de Jure naturæ est, ut facta do-
natione alicujus rei, & translato dominio illius, hæc
non possit alteri donari. Sed Religiosus per Votum
Solemne Castitatis, prout etiam Clericus in Ordine
Sacro, donavit corpus suum Deo, & sui ipsius do-
minium transfudit in Religionem, ac Ecclesiam res-
pectivè. Ergo impedimentum dirimens Voti Solemnis
provenit à Jure naturali Divino. 4. Conjugatus
non potest inire conjugium cum altero de Jure
naturæ, quia non habet amplius dominium sui cor-
poris. Ergo ex eodem Jure neque Religiosus, qui
privavit se corporis sui dominio.
E contra Scoticæ, & Canonice tenent, solo Jure
Ecclesiastico esse introductum hoc Voti solemn-
impedimentum dirimens. 1. Quia si dirimeret ex Jure
naturali Divino, etiam Vota simplicia Matrimo-
nium dirimerent; nam eadem essentialiter idem
sunt cum Solemnibus. cap. *Rursus*. Qui Cleric. vel
Vovet. 2. Quia Vota Castitatis eatenus dirimunt
Matrimonium, quatenus Solemnia sunt. Sed Solemnitatem
repererunt à solo Jure Ecclesiastico, ut
expressè legitur in cap. *Unico*. De Voto in 6. Et in
Constitutione 89. Gregorii XIII. incipiente. *Afcedente*
20 *Domino*. 3. Quia *ibid.* Papa constituit, ut Vota sim-
plicia Jesuitarum emissa in Religione post biennium
habeant vim dirimendi Matrimonium postea contra-
ctum. Ergo hanc vim habent à solo Jure Eccle-
siæ etiam omnia alia Vota Solemnia. 4. Quia de
Jure naturali servus, etsi subditus Domino suo, non
prohibetur contrahere Matrimonium, ut probatum
est supra Decif. XX. num. 11. Ergo neque ex Jure
naturali Religiosus, quamvis constitutus in dominio
sui Superioris. 5. Quia lex naturæ in obligacioni-
bus tantummodo facit, ut res promissa uni, illici-
tè tradatur alteri; non etiam invalidè. Ergo idem
dicendum in Voto solemn- ex natura rei, & ex Jure
naturali. 6. Quia eadem est obligatio facta Deo
per Votum simplex Castitatis, ac per Votum Sole-
mne; est enim in utroque idem Deus, cui vovens
se obligat, & eadem res, que ponitur in obliga-
tione, scilicet continentia, & castitas. Sed Votum
simplex Castitatis non dirimit. Ergo dirime-
re, & irritare Matrimonium non competit Voto So-
lemni ex Jure naturali Divino, sed Ecclesiastico tan-
tum. 7. Quia ex supracitata Constitutione 89. Gre-
gorii XIII. Vota simplicia Jesuitarum post biennium
emissa, possunt à suis Superioribus cassari, &
annullari, licentiando professos à Religione, qui
ita licentiati possunt validè contrahere Matrimo-
nium, dummodò non sint ordinati in Sacris, ut
notat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 30. n. 120.
Ergo vis dirimendi, quam habet Votum Solemne,
non est à Jure naturali Divino, sed à solo Jure Ec-
clesiastico. 8. Quia status Religiosus Jure naturæ
non destruit Matrimonium, nec ab eo destruitur;
ut patet in conjugato, qui de licentia Uxoris intrat
Religionem, firmo remanente Matrimonio. 9. Quia
antiquitus Professio in Religione non dirimebat Ma-
rimonium subséquens, nam Virgines (illæ saltem,
quæ post Vota morabantur in paternis domibus, &
non in Monasteriis) nubentes post emissam Vota ple-
tebantur quidem gravi penitentia; sed earum con-
jugia non irritabantur. cap. *Quotquot*. cap. *Virgines*.
& cap. *Siqua Virgo*. 27. q. 1. Quare ex his, & aliis

rationibus, à solo Jure Ecclesiastico provenire,
quòd Votum solemn- dirimat Matrimonium subsé-
quens, tenet Glossa in cap. 1. Verbi. Sub testimonio.
27. q. 1. & in cap. *Rursus*. Verbi. Apud Deum. Qui
Clerici, vel voventes; & ibi Jo. Andreas; Abbas,
Ancharanus, & omnes Canonice, super eo scriben-
tes, quos longa serie cumulat, cum innumeris pro-
pmodum Theologis Scholasticis, & Moralistis ipse
Sanchez d. libr. 7. de Matrim. disp. 26. num. 2. &
idem Sanchez addit in Præcepti. Decal. tom. 2. libr. 5.
cap. 1. num. 6. ubi ita loquitur: *At Sententia, quam*
verissimam puto, ait, Solemne Professio Votum, &
simplex non differre per se, & essentialiter ex utrius-
que Voti natura, sed solum accidentaliter, & ex-
trinsecè, ex sola Ecclesiæ constitutione: ac proinde
totam Voti Solemnitatem esse solius Juris Ecclesiasti-
ci; quavis ipsa Voti obligatio erga Deum sit Juris
Divini naturalis, cujus est etiam obligatio Voti simpli-
cis; & allegat text. in cap. Unico. De Voto in 6. ubi
Bonifacius VIII. Episcopo Riterensi interroganti,
quòd Votum debeatur dici Solemne, ad Matrimo-
nium subséquens irritum reddendum? ait, Solemnit-
atem Voti ex sola Ecclesiæ institutione inventam
esse. Quare ultra supracitata DD. per Sanchezium
in utroque loco, quòd Votum Solemne dirimat subsé-
quens Matrimonium ex solo Jure Ecclesiastico; &
tenent inter modernos Fagnanus in cap. 106. De
Translat. Episc. tom. 2. & in cap. Ex parte. nu-
mer. 13. De Convers. Conjug. tom. 5. & in cap. Ut
privilegia num. 30. De Privileg. tom. 7. Justus de Dis-
pensat. d. libr. 2. cap. 14. num. 79. & ibi Fili-
cius, ac Bonacina. Item Emmanuel Gonzalez in
cap. Infructu. num. 11. Qui Clerici, vel voventes
tom. 4. Mastrus, & Emin. Card. de Lauræa sup.
num. 17.

Nec obstant argumenta, seu fundamenta Thomi-
starum relata sup. num. 18. Non primum ex verbis
Syricii Papæ, qui jubet Virgines illas nubentes se-
parari, vel quo ad thorum tantum, cum procederet
in eis Votum simplex Castitatis; vel quoad vincu-
lum, si jam Ecclesiæ fuerat solemnitate Voti
Religiosi, illudque fecerat impedimentum dirimens,
ut respondet Emin. Card. de Lauræa d. disp. 30. nu-
mer. 125. ubi ubi subdit, illas Voces *Et Verbo Domini*,
nil aliud innuere, nisi quòd Dominus præcipit, ob-
ligationem Voti esse adimplendam; & ipsa Vota
esse à quocumque servanda. Non secundum ex Con-
cilio Tridentino sess. 24. can. 9. ad illud enim Emin.
Card. de Lauræa d. disp. 30. numer. 126. ita respon-
det: *Intentum Concilii aliud non est, quam declarare*
Matrimonia Sacrorum Levitarum, & Professio-
rum Regularium esse invalida; neque per somnium
cogitavi asserere, quòd Votum inhabiliter Jure natu-
ræ; quia si sic, non fuisset necessarium tale Decretum
circa Regulares. Et infra. *Motus ergo loquendi*
Concilii est copulativus, seu cumulativus; nam in
Ordine Sacro, & Professione Religiosis adeò Votum
continentia, ut patet ex cap. Unico. De Vot. in 6.
& ex Extravag. Joann. XXII. De Voto. Non tertium,
quia quòd donatio unius rei alicui facta, non possit
alteri tradi, non provenit ex Jure naturæ ipsius
donationis, sed ex acceptatione donatarii, à quo
donatio recipit firmitatem. Sic quòd Religiosus,
qui per Votum donavit seipsum Religioni, non possit
corpus suum dare alteri in Matrimonium, non provenit
à natura Voti, sed ab acceptatione jam facta
per Superiores Religiosis, qua attentata voluit Ec-
clesiæ, ut si Religiosus deinde ineat conjugium, sit
irritum, atque invalidum, ut subdissert ipse E-
min. Card. de Lauræa d. disp. 30. numer. 127. Non
Quartum, quia Uxoratus non impeditur de Jure na-
turæ plures Uxores ducere, ut faciebant Sancti Pa-
triarchè in Lege Veteri; sed impedimentum pro-
venit ab acceptatione ejus corporis facta à prima U-
xore, cui Maritus illud tradidit cum hac conditione,
ne alii

ne alii daret; id quod à parte Viri non servabatur
in Lege Moysæa, sed in Evangelica fuit firmatum
Jure Divino à Christo Domino, à quo Polygamia
fuit proscripita, ut ostendimus supra in Decif. X.
num. 15. & seq. Inconclusa itaque est hæc Scoticarum,
& Canoniarum opinio, quòd Impedimentum
dirimens Voti Solemnis provenit tantummodo ab
Ecclesiastico Jure.

Quò vero ad Tempus, quò Votum Solemne cepit
dirimere Matrimonium postea contractum? Respon-
det Emin. Card. de Lauræa d. disp. 30. de Matrim.
23 num. 80. quòd, Solemnitas Votum continentia, licet
sit ab Ecclesiæ introducitur, tamen est antiquæ etiam quo-
ad nomen: quod rem verò, & effectum dirimens est
antiquissima, Cornelius à Lapide Commentar. in E-
pist. Divi Pauli 1. Timoth. 5. Vers. 12. in fine, ait;
Quia hæc Solemnitas Voti cepit esse impedimentum
dirimens Matrimonii, non adeo constat. Verissimè est
diversi in locis, diversi temporibus coepisse; sed ge-
neratim à tota Ecclesiæ receptione esse sub Annum Do-
mini 1139. quando sub Innocentio II. in Concilio Ro-
mano hoc impedimentum communi Episcoporum decre-
to sancitum, & constitutum est. Porro ut Studiosis
Lætoribus nota sit antiquitas hujus impedimenti,
placeat hic summari recentere Canones, ac eorum
tempora, de eodem loquentes incipiendè à Tridenti-
no Concilio, & ascendendè ad antecedentes vetustis-
simos annos. Itaque

Concilium Tridentinum completum Anno 1563;
in sess. 24. de Matrim. can. 9. dicit: *Si quis dixerit*
Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares
castitatem sollemniter professos, posse Matrimonium con-
trahere, contractumque validum esse hoc. Anathema sit
24 *Bonifacius VIII. qui sedebat Anno 1300. in cap.*
Unico. De Voto in 6. ita decrevit: Presentis declarandi
divini oraculo sanctionis, illud solum Votum
debere dici Solemne, quantum ad post contractum Ma-
rimonium dirimendum, quod Solemnitatem fuerit per-
fectionem Sacri Ordinis; aut per Professionem ex-
pressam, vel tacitam factam alicui de Religiosis per
Sedem Apostolicam approbatam.

Celestinus III. in Apostolica Sede flans Anno
1191. de hoc Voti impedimento sic in cap. *Rur-*
sus. 6. Qui Clerici, vel voventes, loquitur; *Rur-*
sus quidam Votum Castitatis emittunt, loquuntur se quan-
dum dixerunt postea in Uxorem: Undè à Fraternitate
tua requisiti arbitramur, quòd cum simplex Vo-
tum apud Deum non minus obliget, quàm Solemne,
pro eo quod juravit, teneat penitentiam agat, & Vo-
tum quod Deo fecit, studeat observare. Erat igitur
tunc temporis in Ecclesiæ Votum simplex Castita-
tis, & Votum Solemne; primum impediens tan-
tummodo; secundum etiam dirimebat Matrimo-
nium.

Alexander III. qui Universalem Ecclesiam reg-
bat Anno 1160. in Epistola ad Episcopum Oxonen-
sem, que habetur in Appendic. Concil. Lateran. III. de
Conjugatis, sic scripsit: *Si quisquam se Religiosi de-*
votum, & habitu suscepto Professionem fecit, postmo-
do sibi aliquam copulationem, cogendat est ab ea dis-
cedere, & ad Ecclesiam cui se contulerat, debet sine
contradictione transire.

Innocentius II. qui creatus Papa Anno 1130. vi-
xit annis tredecim in Pontificatu, ita decrevit in
Concilio Lateranensi II. cap. 7. & refertur in cap. *U-*
lex. 27. q. 1. *Ut Lex continentia, & Deo placens*
mandata in Ecclesiasticis personis, & Sacris Ordini-
bus dilatata, statimque, quatenus Episcopi, Presby-
teri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici, Mo-
nachi, atque Conversi Profess, qui sanctum transgre-
dientes propositum, Uxores sibi copulare presumpserint,
separantur; huiusmodi namque copulationem, quam
contra Ecclesiasticam regulam consistit esse contrarium,
Matrimonium non esse censendum. Qui etiam ab invi-
cem separati pro tantis excessibus penitentiam agant,
ne alii

Idipsum quoque de Sanctimonialibus feminis, si (quod
abst) nubere attentaverint, observari decernimus.
Clarè loquitur, quòd prædictorum Matrimonia erant
irrita.

Gregorius II. qui sedebat Anno 720. in Concilio
Romano, in quo intervenerunt Episcopi duo, & vi-
ginti, anathemate ferit feminas Deo per Vota sacra-
tas, quæ autæ essent nubere; ut in tom. 3. Concilior.
pag. mibi 416. 417.

In Concilio Toletano IV. celebrato de An-
no 633. sub Honorio Papa I. Idem decernitur in
can. 51. his verbis: *Nonnulli Monachorum egredien-*
tes à Monasteriis, non solum ad sæculum revertun-
tur, sed etiam Uxores accipiunt. Igitur revocantur
in eodem Monasterio, à quo exierunt, penitentiam depoten-
tur; ibique desinant crimina sua, unatè decesserunt.
Per hanc autem restitutionem ad Monasterium in-
nuitur nullitas Matrimonii contracti; sicut restituito
Monachi ad ejus Uxorem nullitas professionis. cap.
Agathosa. cap. *Si quis conjugatus*. Et cap. *Quia A-*
gatho. 27. q. 2. cap. *Quædam*. de Convers. Conjugat.

S. Gregorius Papa I. qui fuit creatus Anno 590. in
Epist. ad Bonifacium relata in cap. *Viduas*. 27. q. 1.
statuit, si Virgines velatas, si Virgines Religio-
nem professas, postea nubentes, esse revocandas;
graviterque puniendas juxta Decretum Innocentii Pri-
mi, de quo infra.

Gelasius Papa, qui sedebat Anno 492. id ipsum
statuerat in Epist. ad Episc. Siciliens. que legitur in
cap. *Neque Viduas*. 27. q. 1.

Innocentius I. electus Pontifex Anno 402. in E-
pist. ad Viterbianos, & in decretis cap. 9. pronuncia-
vit his verbis, que leguntur in cap. *Hæc verò*. &
cap. *Que Christo*. ead. 27. q. 1. *Hæc verò, que nec-*
dam sacro volumine testè, tamen in proposito Virgi-
nali semper se permanere simulaverunt, licet velate
non fuerint, si forte nupservint, his agenda aliquan-
do tempore penitentia est; quia spolio earum à Do-
mino tenebatur. Si enim inter homines fuerit bone f-
dei contractus nulla ratione solvitur, quàm magis
ista sollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine
vindicta non debet. Certè loquitur Papa de nullitate
nuptiarum, cum sponsione factam Deo in profes-
sione non posse solvi affirmet. Idem dicit in ep. cap.
Que Christo, in quo comparat nuptias Sanctimonialium
cum Matrimonio illius mulieris, quæ vivente
primo marito, alteri nubit; illud enim esse irri-
tum, ac invalidum nemo dubitare potest.

Concilium tandem Carthaginense IV. quod fuit
celebratum Anno 397. & deinde ab Anastasio Papa
I. qui fuit electus Anno 398. confirmatum, Sancti-
momialium nuptias damnavit, easdem adulterio simi-
les, idest irritas, & invalidas decernens, ut refer-
tur in cap. 1. d. causa 27. quest. 1. his verbis: *Que*
se devoverint Domino, & veste Laicali abjecta, sub
testimonio Episcopi, & Ecclesiæ in seculari habitu
apparuerint, postea verò ad nuptias secularis transe-
rint, secundum Apostolum 1. Timoth. 5. damnationem
habebunt; quia fidem castitatis, quam Domino vove-
rint, irritam facere visio sunt. Tales ergo persone à
Christianorum communione sequestrentur, neque con-
vivium cum Christianis communicent: nam si adultere
conjuges reati sunt viri sine obnoxio, quàm magis
ille, que Religiositatem mutaverunt, crimine adul-
terii notabuntur. Deductur ex his omnibus, Impedimentum
Voti solemn- dirimens Matrimonium postea
contractum esse antiquissimum in Ecclesiæ, &
ab ejus incunabulis inceptisse; ut demonstrat idem
Emin. Card. de Lauræa d. disp. 30. art. 2. §. 5.
& confirmari potest ex pluribus, ac eruditissimis ratio-
nibus, quibus Cornelius à Lapide Comment. in Act.
Apost. cap. 5. Vers. 2. probat, Christum Dominum, id-
est circa eorum tempore, ac decreto, Votum Castita-
tis Religiosum poterit conjuga subséquencia diri-
mere,

mere, est hoc non ex scripto, sed ex traditione ad posterum transferit, prout de miscenda aqua in Calice, quod ab iisdem Apostolis emanavit. Suarez tom. 3. in 3. part. D. Thome disput. 45. scilicet 2. dub. 2.

27 Inficiandum tamen non est, plurimos Auctores gravissimos opinari, quod in primis Ecclesie seculis Vota Religiosorum essent simplicia, non solemnia; ideoque si Matrimonium contraherent de facto, illicite quidem, sed non invalidè agebant, ut conatur probare Basilius Pontius *20. Scholasticar. part. 1. quest. 3.* nec non de *Matrim. lib. 7. cap. 22.* cui adheret Paulus Sherlog. in *Cantic. tom. 3. Vespig. 28. num. 33.* Ceterum responderi potest, quod in primitiva Ecclesia duo erant Ordines Monachorum, & Monacharum; nam eorum alii, voventes Castitatis, Paupertatis, & Obediencie Vota, transibant in Monasteria; alii vero solum Votum Castitatis emittebant, & in propriis domibus apud parentes suos habitabant, ut eruditè scribit Morinus de *Sacramento Penitentiae lib. 6. capit. 13. num. 12.* & 13. ubi de differentibus Penitentis, quibus tunc eorumdem Votum transgressio, ac violatio castitatis pledebatur. Igitur Vota eorum, qui in domibus parentum Laicorum morabantur, erant simplicia, Matrimonium tantummodo impediencia: at illorum, qui ad Monasteria transibant, & se, suaque corpora Religioni tradebant, erant solemnia, non solum impediencia, sed etiam dirimentia Matrimonium, de quibus intelligendi sunt Canones, ac Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum, supra allegata. Clericis Sacros Ordines suscipientibus interdictum fuisse Matrimonium contrahere per Apostolorum Canones, ac Decreta Pontificum, & Conciliorum in primo, secundo, ac tertio Ecclesie seculo, latè probavimus in Decisionibus nostris *De Sacram. Ordinis Decif. XXVII. an. 23.* & sequa. ad quam Lectorem remittimus; & videri potest Emmanuel Gonzalez *Comment. in capit. 2. de Cleric. Conjug. num. 1. tom. 3.* ubi infinitos Canones de hac re allegat.

Quo ad Ultimum, in quo queritur, An Summus Pontifex possit in Votis solemnibus Castitatis dispensare, ad effectum ut tam ordinati in Sacris, quam Religiosi possint contrahere Matrimonium; pugnant inter se Thomistæ, atque Scotistæ. Illi tenent negativam, freti eo principio, quod Votum solemnè Castitatis dirimat Matrimonium postea contractum non ex solo Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturali Divino, in quo Papa dispensare non potest, ut latè nituntur probare Salmanticenses tom. 8. de *Statu Religioso tract. 20. disp. 1. dub. 7.* ubi n. 9. allegant Theologos 25. hanc opinionem sequentes; & num. 109. negant omnia exempla, ab Historicis relata, dispensationum à diversis Pontificibus concessarum, ad effectum ut adstricti Voto solemnè Castitatis possent ex iusta, ac gravi causa licitè, & validè Matrimonium inire; quæ quidem exempla adducta fuerunt à nobis supra *Decif. XV. num. 17. 18.* & 19. ubi affirmativam opinionem amplexi sumus, & Doctores eandem tuentes allegavimus. Eandem & nunc amplectimur tamquam communio-rem, & veriorè, quam etiam defendunt plurimi Canonistæ, quos congerit, & sequitur Sanchez de *Matrim. lib. 8. disp. 3. num. 7.* nec non innumeri, ac gravissimi Theologi recentis ab iisdem Salmanticensibus d. dub. 7. num. 109. inter quos Suarez tom. 3. de *Relig. lib. 6. cap. 16. num. 5.* Basilius Pontius de *Matrim. lib. 7. cap. 10. num. 2.* & alii plurimi citati per Dianam part. 8. tract. 1. resol. 73. reportata in eius Opere Coordinato, & repolita in tom. 3. r. 1. resol. 78. ubi §. 4. stat & ipse pro affirmativa, sic scribens pro eius corroborazione. „ Probatur hæc sententia tum ex facto Pontificum, quos sæpius in hoc casu feliciter dispensasse legimus, & quidem

fide indubitata, ut fusiè prosequitur Azorius, & Platus. Tum quia quo ad valorem dispensationis Ecclesiasticæ, eadem est ratio Voti simplicis, & solemnis; neque hoc ex natura sua habet majorem obligationem, quam illud. Tum quia fecundum S. Thomam, & alios, potest dispensari in Voto Castitatis per Ordinis susceptionem; quod non minus solemnè est, quam Religiosæ Professionis; etsi hoc discrimen sit, quod hoc tolli non possit nisi ipso etiam statu (Religionis) à persona sublato, quod non est necesse in priori casu. Tum denique quia nihil obstat ejus Voti dispensationi. Non traditio, quia etiam simplex Votum aliquando traditionem continet. Accedit, quod etiam res in Regis dominium redactas potest Prorex, si major utilitas, & honor Regis id exposcat, alienare. Non Voti solemnitas, quia hæc solo Jure Ecclesiastico introducta est. Non ipsa Religionis natura, quia licet de hujus essentia sit Castitas; tamen non est de essentia ejus, qui semel Religiosus est factus, ut maneat Religiosus, ut dicitur. Nec demùm Consecratio; non solum quia Benedictio ipsa propriè non constituit Religiosum; sed etiam quia hæc ipsa potest à re integra separari, ut mox dicitur. Hucufque Diana; qui §. 5. prosequitur narrare Exempla Apostolicarum Dispensationum in Votis solemnibus Castitatis relata ab Historicis antiquis, & modernis; quibus tamquam fide dignis est credendum per text. in l. 1. ff. de *Offic. Praesid. Praetor.* & docent Baldus in l. Ea quidem col. 4. & in *fn. C. de Judic. Mascardus de Probat. conclus. 287. num. 1.* Rota coram Merlino *decif. 807. num. 4.* & coram Coccino *decif. 1867. num. 19.* Eadem Rota part. 19. *recens. decif. 196. num. 4.* Dianæ doctrinam amplexi sunt ex Canonistis Rebuffus in *praxi benefic. ad Reg. de Dispensat. in gradib. prohib. Gloss. 5. num. 10.* Grassius de *Effic. Cleric. eff. 1. num. 114.* Gratian. *Discept. Forens. capit. 457.* Cardin. Parisius *vol. 4. cons. 68. num. 148.* Garzias de *benefic. p. 7. cap. 10. num. 43.* & 45. Menochius de *Arbitrar. casu 421. num. 10.* Cardin. Tufchus *Litt. D. Conclus. 458. num. 19.* & alii plurimi congesti à Juto d. *libr. 2. de Dispensationib. cap. 13. num. 16.* ubi in specie ait, Papam posse dispensare cum Equitibus Hierosolymitanis, & aliis Religiosis, ut Matrimonium contrahere valeant; & num. 17. refert Exempla consilium Dispensationum; prout facit etiam Barbosa de *Offic. Episc. Episc. alleg. 15. num. 22.*

DECISIO XXII.

ARGUMENTUM.

Declarat præfens Decisio impedimentum dirimens Cognationis Naturalis, tradita ejus definitione, ac explicatione Stipitis, Lineæ, & Graduum, cum tribus regulis pro eorum computatione. Docet usque ad quem gradum Cognatio Naturalis dirimat Matrimonium de Jure Canonico? An de Jure naturæ prohibetum sit Matrimonium in primo gradu, ram in linea recta, quam in linea laterali? In quibus gradibus utriusque Lineæ possit Papa dispensare? Ponuntur Exempla, & Historiæ circa dictas Quæstiones. Pœnæ, & punitiones Copulæ incestuosæ.

SUMMARIUM.

- 1 Cognatio Triplex, Naturalis, Spiritualis, & Legalis.
- 2 Naturalis cognatio cur sic vocetur?
- 3 Cognatio

- 3 Cognationis Naturalis, seu carnalis, definitio, ac declaratio.
- 4 Stipes quid sit?
- 5 Angeli an sint Dei consanguinei?
- 6 Linea quid sit? Quotplex?
- 7 Gradus quid sit?
- 8 Graduum computatio de Jure Civili differt à Jure Canonico.
- 9 Illegitimi Filii de Jure Canonico faciunt gradum.
- 10 Gradus quomodo computentur de Jure Canonico? Regula tres.
- 11 Gradus tum remotior, tum propinquior exponendus in dispensatione.
- 12 Cognatio carnalis usque ad quem gradum dirimat Matrimonium in linea recta?
- 13 Et usque ad quem gradum in linea obliqua?
- 14 Innocentius III. Anno 1215. restrinxit impedimentum Consanguinitatis ad quartum gradum.
- 15 Impedimenti Consanguinitatis, & Affinitatis rationes multæ.
- 16 Mulierum levitas, & fragilitas.
- 17 Cognatio carnalis an de Jure naturali dirimat Matrimonium? Opiniones tres.
- 18 Matrimonia in primo gradu Consanguinitatis apud quos?
- 19 Matrimonium prohibetum in linea recta in infinitum. Rationes sex.
- 20 Pontifices nunquam dispensantur in linea recta.
- 21 Mater an possit nubere filio? Vel Filia Patri de Jure naturæ?
- 22 Animalia abhorrent carnalem copulam cum suis genitoribus.
- 23 Matrimonium licitum de Jure naturæ in linea recta, primo gradu excepto.
- 24 Cap. Non Debet. De Consanguin. & Affin. loquitur de linea recta & obliqua.
- 25 Lex naturalis scripta est in corde hominum.
- 26 Homines sepè operantur contra Legem naturæ.
- 27 Filie Loth an peccaverint, coeunt cum Patre suo?
- 28 Collaterales cognati an de Jure naturæ prohibeantur copulari?
- 29 Sara Uxor Abrahami an fuerit ejus Soror? & num. 33.
- 30 Othavia nubit Neroni Imper. fratri suo.
- 31 Frater, & Soror Jure naturæ prohibentur simul nuptias inire.
- 32 Abraham cur rogavit Saram Uxorem suam, ut diceret, esse Sorem ejus?
- 33 Sara erat Nepis Abrahami, filia Aran fratris ejusdem.
- 34 Hebræorum mos, ut Nepotes dicerentur Filii Avi, & inter se fratres.
- 35 Papa an possit dispensare inter Collaterales etiam in primo gradu?
- 36 Urbani VIII. dispensatio Matrimonialis pro Patre, & Nepite.
- 37 Matrimonium Cardin. Mauriti de Sabaudia cum ejus Nepite ex fratre.
- 38 Ludovicæ Mariæ Principissæ de Sabaudia dictum argutum.
- 39 Papa in omnibus gradibus lineæ lateralis dispensare potest, primo excepto.
- 40 Excommunicatio contra incestuosos Conjuges. Et alia pœnæ eorum.
- 41 Heraclii Imperatoris punitio Divina pro ejus Matrimonio cum Nepite.
- 42 Roberti Galliarum Regis incestuosæ Nuptiæ à Deo puniitæ.

sequentibus. Et equidem circa Cognationem Naturalem sex sunt examinanda, & videnda.

- 1 Quid sit cognatio Naturalis?
- 2 Usque ad quem gradum dirimat Matrimonium de Jure Canonico?
- 3 Usque ad quem gradum de Jure naturæ inter ascendentes, ac descendentes in linea recta?
- 4 Usque ad quem gradum de Jure naturæ inter Collaterales in linea transversali?
- 5 An Papa possit dispensare in omnibus gradibus inter Collaterales Consanguineos?
- 6 Quibus pœnis, ac punitionibus afficiantur Consanguinei in gradibus prohibitis Matrimonium simul contrahentes?

Quo ad Primum. Cognatio Naturalis ita nominatur, quasi eadem natio, quia per eam plures ab uno stipite nascuntur, & dicuntur cognati, tamquam ab eodem nati: vocatur quoque Consanguinitas, quasi Sanguinis Unitas; prout descendentes ab eodem stipite nuncupantur Consanguinei, idest ab uno Sanguine procedentes, ut docet S. Thomas in 4. dist. 40. q. Unica. art. 1. & in *Addit. 3. p. 9. q. 54. art. 1.* ubi talem tradit carnalis cognationis definitionem. Cognatio carnalis, seu Consanguinitas, est vinculum personarum ab eodem stipite descendente, carnali propagatione contractum; cui moderni addunt, ab ipso stipite in diversas lineas, & gradus diffusum. Ex declaratione singulorum Verborum hujus definitionis Studiosus Lector totam doctrinam Cognationis carnalis, naturalis, seu consanguinitatis percipiet. Dicitur itaque quod ea est Vinculum, non formale, sed metaphoricum, quatenus consanguinei, cum ab eodem Sanguine oriuntur, majori familiaritatis, & amoris nexu connectuntur.

Dicitur Personarum, idest creaturarum rationalium, ad differentiam brutorum; siquidem consanguinitas consideratur in hominibus tantum, quia hi capaces sunt veri amoris, & amicitiae; non autem in brutis, quæ moventur ad copulam carnalem libidinis æstu, & non amore amicitiae, ut docet Aristoteles 5. *Ethicor. cap. 11.* Dicitur, ab eodem stipite descendente, Nam stipes idest illa persona, à qua descendunt alii, de quarum cognatione tractatur; & quæ dat principium lineæ eorumdem descendente; idcirco intelligendum est de stipite proximo, non de remoto; aliàs omnes homines essent consanguinei, cum omnes descendant vel ab Adamo, vel à Noe remotissimis stipitibus. Proximus autem stipes attenditur, à quo consanguinitas oritur, & ex cujus origine amor, similitudo, & familiaritas inter consanguineos conservatur. Dicitur carnali propagatione contractum; tum ad differentiam Cognationis Spiritualis, quæ in Patris in susceptionem in Baptismo, ac Confirmatione contrahitur; nec non Legalis, quæ per adoptionem extraneorum in filios gignitur; tum ad differentiam Angelorum, inter quos, & Deum non datur consanguinitas; quia licet ab illo fuerint producti, factum fuit per creationem, non per propagationem carnalem; ut notant Justus de *Dispensationib. Matrimonialib. lib. 2. cap. 3. num. 5.* & Salmanticenses *tract. 9. de Matrim. c. 12. num. 6.* ubi subdunt, quod neque Eva fuit formata per carnalem propagationem Adæ, & quod inter eos non fuit vera consanguinitas; sed utique inter Redemptorem nostrum JESUM CHRISTUM, & Beatissimam Virginem ejus Matrem, quia ex ejus purissimo Sanguine fuit conceptus per virtutem Spiritus Sancti, & quemadmodum ex aliis matribus, fuit carnali propagatione productus, purissima Virginitate illæ servata, & cæteris omnibus concurrentibus, quæ ad naturalem procreationem exiguntur.

Dein additur in definitione ab ipso stipite in diversas lineas, & gradus diffusum. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendente.